



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118332**

§. 104. Detegendæ proditiōnis occasio a Burgundo neglecta

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

secul. XV. petias attulisset. Nihilominus primas  
A.C. 1476. eo curas intendit, ut saltem urbem undi-  
 que cinctam teneret; Placuit hoc Du-  
 cis consilium ceteris omnibus belli Præ-  
 fectis, solus vero dissentiebat Campo-  
 Bassius. Insignis enim hic proditor ur-  
 bem juxta militaris disciplinæ leges to-  
 to belli apparatu obsidendam pertinacius  
 contendebat, eo duntaxat fine, ut faci-  
 lius sua exequeretur consilia, quibus Bur-  
 gundiæ Ducem aut occidere, aut sal-  
 tem capere, ejusque exercitum delere  
 moliebatur.

## §. CIV.

*Detegendæ proditiōnis occasio a Bur-  
 gundo neglecta.*

Igitur juxta Campo-Bassii sententiam  
 Nancejum cunctis belli instrumentis op-  
 pugnatur, arteque premitur. Lotharin-  
 giæ Dux, usque dum suppetiæ eidem  
 promissæ advenirent, saltem ingentem  
 annonæ copiam urbi inferre aggreditur,  
 Campo-Bassii sollicitationibus confusus,  
 qui eidem liberum in urbem aditum  
 spondebat. Nihilominus Burgundiones  
 currus, quibus commeatus vehebatur, in-  
 tercipiunt, cunctosque præsidarios mili-  
 tes, qui plaustra comitabantur, aut truci-  
 dant, aut capiunt. Hos inter erat Nobi-  
 lis

lis quidam, natione Provincialis, ac no- Sæcul. XV.  
 mine Suffronius Lotharingiæ Ducis fa- A. C. 1476.  
 miliaris, qui ob frequens cum Campo-  
 bassio colloquium totius conjurationis  
 contra Burgundum adornatæ conscius  
 erat. Quapropter perfidus iste Præfectus  
 Burgundo auctor exstitit, ut Suffronium  
 captum quantocius suspendio damnaret,  
 quod & sine mora effectui datum est, a- Commin. l. 5.  
 perte violatis belli juribus. Suffronius cap. 6.  
 tam indigno mortis genere vehementer  
 perculsus, vitæ suæ consultum iri existi-  
 mabat, si Campo-Bassii proditionem de-  
 tegeret; hinc Duci significari fecit, ha-  
 bere se, quæ eidem manifestaret, eaque  
 tanta momenti esse, ut præter ipsum Du-  
 cem hæc arcana nemini confidere posset.  
 Hæc quidem edoctus erat Burgundus;  
 ast Campo-Bassius dexterrime imminen-  
 tem capiti suo calamitatem avertit, &  
 confestim lictori ultima mandata dedit,  
 Suffronium sine mora laqueo necaret;  
 id & factum est, quin infelix ille Vir ea,  
 quæ noverat, manifestare potuerit; Cam-  
 po-Bassius vero hujus silentii beneficio  
 tutus, jam ab omni metu vacuus erat,  
 unde proditionis suæ consilia libere exe-  
 qui aggrediebatur.